



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri Francisci Chiffletii, Vesontionensis, Societatis Jesu
Presbyteri, Opuscula Quatuor.**

Chiflet, Pierre François

Parisiis, 1679

Widmung

urn:nbn:de:hbz:466:1-9409



ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.
JACOBO NICOLAO
COLBERT,
ABBATI BECCENSI,
PRIORI ET DOMINO CHARITATIS,
ET AMBERTÆ,
SACRÆ FACULTATIS DOCTORI,
& Socio Sorbonico,
PETRUS FRANCISCUS CHIFFLETIUS
Salutem.



*REGIÆ stirpis, ejus-
que affinitatum & con-
sanguinitatum splen-
dori studere, magno
tuo parenti proprium,
tibi hereditarium est, ABBA ILLUS-*

G ij

EPISTOLA.

TRISSIME. Hinc spes animo meo in-
dit, vobis haud ingratum fore, si Regum
nostrorum arboris gentilitiae ramum
spectabilem, prioribus haud satis com-
pertum, vobis exhiberem. Ex Aquitania
Regibus, adeoque ex Carolo
Magno Comites antiquos Pictaven-
ses propagatos esse constat: ex Co-
mitibus Pictavensibus Comites Va-
lentinis quinque amplius abhinc secu-
lis: denique ex Comitibus Valenti-
nis Barones Pictavenses, quorum fa-
milia nunc in Sequanis, sive in Bur-
gundia, quem vocant, Comitatu se-
des habet. Prisco ævo Valentia Ca-
varum Regnum Germania, adeoque
Imperium spectabat: ab annis circiter
quadringentis ad fontem suum, hoc
est, ad Regum Francorum ditionem,
unde prodierat, reversa est. Nuper

EPISTOLA.

Burgundia Bisontina quæ octingentis
propè annis Imperatorum juris fue-
rat, magno vel suo, vel regni Fran-
corum commodo, Ludovico Magno
Regi cessit. Nunc igitur exultabunt
Barones Pictavenses Burgundo-Se-
quani, quibus olim, quamvis à Ludo-
vico XIII. Christianissimo Rege
perhumaniter haberentur, tamen re-
gnicolas (ut loquuntur) non esse, de-
trimento fuit: & regnicola nunc effe-
cti, in Valentinorum Pictavensium
Comitum, decessorum suorum heredi-
taria prædia postliminio recipi, pro-
num erit ut postulent. Qui causâ vi-
cerit, beneficium hoc erit pacis, orbi
Christiano universo, Magni nostri
Ludovici Regis fortitudine & sapien-
tiâ, terrâ marique partæ.

Addo & munusculum aliud, Ex-

EPISTOLA.

cerpta singularia de vitâ & rebus ge-
 stis S. Bernardi Abbatis Claraval-
 lensis, auctore Gaufrido quondam illi
 ab Epistolis, ac deinde Igniaci, Clara-
 vallis, Fossæ-novæ, & Altæ-cumbæ
 Monasteriorum Abbate. In his leges
 cum voluptate Adelhaidem Lotharii
 Saxonis Imperatoris sororem, Simo-
 nis Lotharingæ Ducis conjugem, &
 sequentium Ducum parentem, quæ se
 beati Bernardi Magdalenam profite-
 batur, quippe ex quâ ille septem da-
 monia ejecisset: Guidonis ejus fra-
 tris primogeniti quondam uxorem, il-
 lustrem Matronam, ac tum cum
 Gaufridus scribebat, in Monasterio
 Lareyo prope Divionem, mulierem
 virtutis, & multarum in Chri-
 sto Virginum Matrem. Reperies
 etiam Guidonem eundem Pontiniaci

110

EPISTOLA.

mortuum, & ipsa nocte quâ San-
ctorum omnium festivitas age-
batur, felici eorum consortio
aggregatum; non autem undecimo
Maii, ut notatur à Chrysostomo Hen-
riquez in Menologio Cisterciensi.
Quæ, ¶ alia non pauca, cum atten-
tè perlegeris, intelliges benè illis con-
venire verba Christi Salvatoris se-
cundùm evangelicam cœnam prola-
ta, cum in ea quinque hominum mil-
lia ex quinque panibus ¶ duobus
piscibus ad satietatem refecisset: Col-
ligite quæ superaverunt fra-
gmenta, ne pereant.

IOAN. 6. 12.

